

† R. P. Iacobus Gielen (1878-1931).

(*Prov. Belg.*)

Die 22 Februari in domo nostra S. Iosephi Bruxellis obiit R. P. Iac. Gielen. Natus erat die 12 Novembris 1878 in pago Limburgensi Kleine-Brogel. Anno probationis Trudonopoli peracto, vota religiosa emisit die 8 Octobris 1930. Sacerdotio actus est Pulchriugi die 29 Septembris 1906, et ibidem post studia theologica statim in domo studiorum Provinciae Belgicae Lector philosophiae designatus. Nam strenuo labore eo devenerat, ut acutissima mente obscuriores etiam huius scientiae quaestiones lucide perspiceret.

Dotes Lectoris sui tres praecipuas eius alumni indicant: miram perspicacitatem in rebus maxime abstractis et abstrusis; claram materiae expositionem; et cum intellegentiis parum exercitatis alumnorum patientiam vere paternam.

Post philosophiae lectoratum theologiam dogmaticam docere suscepit, sicut in praecedenti, etiam in hac disciplina Lector eminens, immo vel maiore gudio altissimas sanctae religionis perscrutans veritates. Etiam in fine vitae, morbo diurno et implacabili correptus, pulchris hisce contemplationibus recreabatur.

Sed non minus practicis in rebus haud ordinaria praeditus erat perspicacitate. Qua de causa anno 1927 Provinciae Belgicae Procurator factus

est. Quod munus tali abnegatione suscepit, ut nimia defatigatione declinantes iam vires suas labefactaret.

Interim etiam saluti animarum operam navavit, cum sermonibus ad sacerdotes habitis, exercitationibus religiosis, variisque contionibus, tum praesertim assiduo in sacro tribunal ministerio. Patientia in audiendis

dolentium querelis, raro consilio, et officiosa semper facilitate multis verus pater spiritualis et dux in vita factus est. Itaque tantam post se reliquit beneficiorum memoriam, ut vir conspicuus visus sit lacrymans coram corpore defuncti consistens; ut medicus, ingenii fama non tantum Antverpiae, sed etiam Lutetiae optime notus, scriberet: «Eius decessus est mihi valde gravis. Nam eo ablato amitto multa. Gratia enim texta erat mea in eum amicitia, et multa etiam in posterum de eius bonitate, consilio et officiis sperabam». Et alius vir, in rebus numeriis versatus: «Fuit mihi maximus beneficiorum auctor, cuius memoriam semper servabo...»

Die 21 Novembris, ipso rogante, ultimis munitus est sacramentis.

Per tres menses in lecto iacebat, placida mente mortem expectans et Dei consiliis plene deditus. Testes huius sunt pulcherrimae illae epistolae, quas ultimas manu propria conscripsit occasione renovationis anni. Primam matri suae: «Novum annum faustissimum tibi exopto. Pro te oro et magis in caelo orabo. Diem mei in caelum transitus nemo novit. Sed gratias Deo! Paratus sum et felix». Alteram sorori: «Putabam vota me tibi e caelo missurum. Sed precibus tuis caelum mihi adhuc clausisti. Quousque? Nescio. Sed Deo submissus et felix exspecto».

Quadam die, iam morti proximus, narravit se cogitasse de modo separationis animae a corpore. «Olim, ait, speculative haec omnia docui. Quomodo autem reaperte fiant, experiendi efferor studio».

In nocte denique 21–22 Februarii, circa horam primam, morbus brevi commotione fervebat. Pauca post momenta confrater noster animam Deo reddidit.

In breviore sua vita multa perfecit in bonum Congregationis et animarum. Reddat illi Deus amplissimam meritorum mercedem. Gaudeat iam anima eius aeterna contemplatione gloriae divinae et adorandae Trinitatis, de qua cum ardore et scientia iunioribus confratribus libens olim loquebatur.

